SCHEDIASMA PHILOSOPHICO-JURIDICUM DE DONO PERSPICUITATIS, A DOCENTIBUS...

Daniel Friedrich Hoheisel, Valenti Gonzaga



EPISTOLA DEDICATORIA.

CAROLO LUDOV. HOHEISEL,

GYMNASII GEDANENSIS ACADEMICI

PROFESSORI LINGVARUM ORIENTALIUM ORDINARIO

S. P. D.

FRATRI FRATER.

NOsti in rebus arduis ad Te me confugere, noli igitur mirari, fratrum Suavissime, cur fœtus ingenii meus, desertus ab omnibus, loco, ubi pedem tuto figere queat, fere destitutus, in sinum se recipiat Tuum. Loquitur ille de *dono perspicuitatis docentium*, quo adumbrato, non potuere non vitia simul methodi didascalicæ apparere. *Judicare* hæc, res est ingenuo homine dignissima; *vitare* eadem, *conscientiæ* est habere rationem; at *demonstrare* ista, negotium est periculi plenissimum. Hæc pensitans, ex quo hoc quicquid est scriptionis absolveram, summa cum attentione denuo, iterumque legi: nihil in illa, quod scripsisse pœniteret, nihil, quod lucem deberet fugere, deprehendi, quam-

vis mihimet ipsi parcissime ignoscere soleo. At homines sumus, nostra liberalius æstimamus; alium itaque circumspexi censorem, a quo convinci possem rationibus, ubi errassem: Et ecce! non potui rigidiorem Te impetrare, imo ut magis Te ad acuendos judicandi aculeos stimularem, Tibi schediasma hoc inscribere non dubitavi. Sum certe monitorum Tuorum ita memor, ut nemo magis, cumque aliquando circa quandam scriptionum mearum intellectum meum, vel voluntatem potius, formasses, effecit id ipsum, ut omnia ejusdem furfuris ex nupera disputatione mea (quæ cum hisce tradetur Tibi) delerem; & quam vellem impurum exemplar ejus a Te conspici! Unicum tamen circa præsentem meditatiunculam monitum deprecor, nempe: *Inimicos tibi creas; odia docentium in te convertis;* hæc enim dudum novi, sed mea philosophia superantur. Nosse cupis, qualis sit illa? dicam: Qui vitæ genus amplectitur, cui vires idoneas a supremo Numine impetravit, eum vocationem sequi divinam,

atque

atque hujus voluntati ſuam conformare demonſtratum habeo. Deinde mediocres homines in omnibus vitæ generibus catervatim video, quemquam illorum, qui artem ſuam, humano generi utilem, probe callent, fugiuntque profuſionem, egeſtate laborare, non video. Iſthæc cum ardentiſſima in Deum fiducia omnem inimicorum invidiam ſpernere me faciunt: hæ meditationes in altiſſima quiete conſtitutum, mira me permulcent voluptate. Morali enim quadam neceſſitate futurum prævideo, ut quo impenſius me oderint innocentem homines, hoc magis meam promoturi ſint felicitatem. Vale & me ama.

Halæ Magdeb. d. 22. April 1724.



LECTORI

S.

PRoponit HUBERUS *in Digressionibus suis* (P. II. Lib. II. cap. 19.) quæstionem: Cur nova philosophandi institutio, quæ nostra ætate in plerisque disciplinis mutationem immanem invexit; in Jurisprudentia tamen docendi discendique rationem minus notabiliter inverterit ac mutaverit? Et hujus quidem rei causam in singulari providentia divina quærit, quæ rationem in homine circa discrimina turpium atque honestarum actionum eandem semper reliquerit, ac superstitem. Instituti mei ratio in lubrica hæc adserta curatius inquirere me non finit; unica saltem objectione nuditatem hujus observationis placet detegere. Quis est qui nesciat, non deficere inter Interpretes Juris sententias *communes contra communes*; hæ autem quomodo cum ista providentia divina in conservanda hominum ratione stare poterunt? Et compilavimus hactenus sententias Doctorum, alienis oculis vidimus, at nihil tam absonum est in Jure, quod non suos nactum sit asseclas, unde quicquid demum statueretur, non novum poterat videri. Recentiores quidem ipsi quædam in inventione veritatum juridicarum tentarunt, at regulis meditandi speciali-

cialibus deſtituti, contenti hac: *Lege*, *meditare*, *attende*, *eſto diligens*, quam tamen & ruſtici norunt, quid aliud poterat evenire, quam ut hodie ita, cras aliter meditarentur, & tandem ipſi neſcirent, quænam hypotheſis vero eſſet ſimilior? Affligunt autem jam hæc rempublicam noſtram, in qua de incertitudine legum nemo non conqueritur, huic autem medelam adferri nullo modo poſſe, niſi genuina meditandi principia ad Jurisprudentiam quoque applicentur, demonſtratum habeo: utque idem illud aliis pateret, hoc quicquid eſt ſcriptionis, per modum prodromi Logices meæ, ubique exemplis ex philoſophia morali & jurisprudentia petitis, illuſtrandæ, publici juris facere nullus dubitavi. Id ſaltem a Te peto, Lector, ne Tibi ſtylus oratorius ſcriptionibus ejusmodi fere indignus, ſtomachum moveat. Deſtinaveram enim, quod non diſſimulo, præſentem meditationem Programmati, quo lectiones meas æſtivas ſtudioſæ juventuti in Academia Fridericiana indicarem; mutato autem dein ob certas cauſas conſilio, nolui hanc inconſtantiam mihi quidquam negotii faceſſere. Vale.

EMENDANDA.

§. IV. lin. 2. legendum *ipſe*. §. V. lin. 11. pro *eorum* lege *enim*. §. VII. lin. antepenult. leg. *concurrat*. §. VIII. lin. 9. pro *Adriani* lege *Georgii*. ib. lin. 22. princ. leg. *Non* ib. lin. 24. leg. *ſoricem*. Eod. §. VIII. pag. ſeqv. lin. 5. poſt veſtri, *atque exceptio*: ut & §. IX. lin. 17. poſt verba: *recte caperet* omiſſum eſt, §. X. lin. 20. ab init. leg. *qua nos*. Ibid. lin. 29. leg. *Domitianam*. §. XII. lin. 3. abundat *nullus*. §. XIII. lin. 15. lege *appelles*. §. XIV. lin. 5. leg. *ſingulorum*. §. XXIII. lin. 22. pro *debet* lege *debent*. Eod. lin. 29. pro *auctori* lege *actori*. §. XXVI. lin. 5. pro *probari* lege *probavi*.

CONSPE-

CONSPECTUS SCHEDIASMATIS.

Omnes discentes desiderant in docente perspicuitatem, qua etiam revera totum docentis munus absolvitur §. I. *Pauci tamen docentes discentesque intelligunt, quid sit perspicuitas* §. II. *Illa in* solis verbis *non est quærenda* §. III. *multo minus in* lingua volubili §. IV. (ut natura perspicuitatis in eruditione pateat, res ab initio repetitur.) *Omnis eruditio debet esse utilis* §. V. *Utilitas in eo consistit, ut ex generalibus principiis de singulis rebus judicium ferre queamus, atque ita etiam Juris scientia utilis est, si principia possimus applicare ad casus obvenientes* §. VI. *Hoc autem non præstant sola verba, quæ primo intuitu intelligi posse videntur, quod evincitur exemplo communis axiomatis*: Error regulariter nocet erranti, *& exceptionis*: si uterque erravit contractus rescinditur, §. VII. *Defectus in* obscuritate *est. Adducitur aliud exemplum ex* Georg. Beyero &c. §. VIII. Doctrina de errore *aliter adornatur* §. IX. *Recensentur ac demonstrantur* doni perspicuitatis *requisita* §. X. *Quod tandem* definitur §. XI. *Commune dicterium*: *aliquem quidem* eruditum *esse, sed* perspicuitate *destitui, inter plebis absurdas voces refertur* §. XII. *Methodus perspicua in quo consistat?* §. XIII. *Quæstio proponitur*: *an ad* perspicuitatem *veram faciant exempla & similia?* §. XIV. *Exempla* alteram partem *perspicuitatis præstant* §. XV. *Imo utramque in* propositionibus sensualibus, *quod illustratur elegantissima quadam meditatione ex* ILLUSTRIS DNI. THOMASII Fundam. J. N. *deprompta.* §. XVI. *Abusus exemplorum notatur, eademque non omnem perspicuitatem absolvere, ostenditur* §. XVII. *Quid præstent* similia, *accurate quidem, sed brevissimis exhibetur* §. XVIII. *Locutiones allegoricæ in definitionibus adhibitæ perstringuntur, ubi de definitione* obligationis, famæ, infamiæ, pretii rerum, §. XIX. *Refutantur qui hic ad* defectum linguarum, *quasi ad sacram anchoram refugiunt* §. XX. *Definitiones recensitarum rerum moralium evidentes exhibentur* §. XXI. *An hoc sit minutias sectari? an* pedantismus? *quid pedantismus? an potius dissentientes sint pedantæ?* §. XXII. *Utilitas ejusmodi definitionum probatur demonstratione*: Nullum dari pretium affectionis, *ubi de usu ejus in foris Germaniæ* §. XXIII. *De Perspicuitate in probabilibus doctrinis remissive. Notatur vulgaris obscuritas in* conciliandis legibus; *Explicatur* L. 20. §. 1. de Collat. *Refutatur* Beyerus §. XXIV. *Perspicuitas docentis inutilis est, nisi attentionem adhibeant discentes; fructus hujus attentionis* §. XXV. *Ex dictis concluditur* perspicuitatem *non differre a* soliditate doctrinæ, *atque ita demonstratur, quod erat probandum* §. XXVI.



§. I.

QUotquot hactenus oculis meis auribusque obverſati ſunt diſcentes, de ſuis conqueſti doctoribus, totidem audivi obſcuritatis hoſce accuſantes: & quotiescunque collaudantium voces auditæ ſunt mihi, toties ob perſpicuitatis donum docentem ſuum commendarunt; unde non potui non in iſtam induci ſententiam, multum momenti in perſpicuitate doctoris ſitum eſſe: Paulo autem curatius attendens, omne docentis munus ſola hac virtute abſolvi, eadem certitudine perſpexi, qua bis duo quatuor eſſe pervideo.

§. II. Albo igitur calculo diſcentium proſecutus ſum poſtulatum, qui tantopere perſpicuitatem in docente flagitant. Sed quo olim Phaëthonti (ut fabula habet) auris vellicabatur: *multa petis Phaëthon*; idem & hiſce occinere veritas me jubet. Subſiſto, hæſito (dabis veniam homini, Lector, nimium candido) an illi ipſi, qui id deſiderant, ſciant, quid velint. Si hoc iniquius cuiquam dictum videtur, amplius dicam: Anceps ſum ac dubius, an multi reperiantur docentes, qui ſciant, quid ſit collaudatum illud perſpicuitatis donum, & magis vereor, ne illi, qui norunt, mallent id ipſum ignorare.

§. III. Sed occlamaturos mihi ſuſpicor lectores: Qui de perſpicuitate diſſerere decreviſti, tot obſcuris animos noſtros percellis perturbasque propoſitionibus, ut, quid velis tibi, non conſtet nobis. Ego vero omnia iſthæc verba intelligi poſſe a linguæ Latinæ gnaro penitus confido; literas etiam typographus poſuit diſtinctas: ſupereſtne adhuc obſcuritas quædam? Et ſupereſt omnino: Ergo iſta eo redibit, quod nondum probavi, quæ protuli. Agite igitur, Lectores, in dubium vocate hactenus dicta omnia: imo liberalior ero, aërem me verberaſſe credite, confidite, Jovem jurate lapidem, per me licet.

§. IV. Quamvis autem ut fidem dictis adhibendam meis suspendatis, ipsi vobis auctor sim: Peropportune tamen aliud quasi agendo id effeci, ut multum laboris lucrata sit meditatio mea. Cum enim ex hactenus dictis sponte vestra intelligatis, in *verbis*, quæ *facile legi* possunt, perspicuitatem non statim quærendam esse; ex eodem fundamento jam concluderis, non illum esse perspicuum docentem, cui molliter procedit inoffensa oratio. Utut enim vox auditu jucunda, lingua volubilis flexilisque cœleste beneficium reputari, ac supremo Numini accepta referri debeat: Quamvis etiam ejusmodi docens, modo cœtera sint paria, majori cum voluptate audiatur, quam cui verba ita in faucibus hærent, ut identidem vereantur auditores, ne meditatiuncula quadam suffocatus novo mortis genere concidat: Nihilominus tamen videmus, illorum etiam docentium, quibus hac in parte multa ac paria dona naturæ liberalitas credidit, alium alio obscuriorem esse, quod vitium jam non amplius in verbis, sed in *ideis* potius & *conceptibus*, quorum tantummodo involucra verba sunt, latere, evidentissimum est consequens. Et profecto, si dicendum quod res est, in his unice obscuritas æque ac evidentia residet. Quamvis enim aliquis impedita laboret lingua difficilique ut nemo magis, ipsum tamen tempus, idque non longum; sed tertia hora, sed secunda efficiet, ut auditor attentus ac diligens mori ipsius pronunciandi adsuefactus, docentem ejusmodi æque facile capiat ac alium, qui blanda facilitate verba fundit articulata. Quicquid vero horum sit,& licet vel maxime linguæ etiam facilitatem exoptent discentes; hæc sola tamen *loquaces* solummodo efficit homines; loquacitas autem solida scientia destituta minime discentem quenquam eruditum reddit, ast consequenter illam nec perspicuam esse demonstrabo, qui jam in ipsis *rebus* docendo propositis evidentiam quæram.

§. V. Res ab initio repetenda est. De perspicuitate in *eruditione tradenda* me loqui, nemo nisi lippus non videt, & monere supervacaneum foret, nisi in ipsius eruditionis contemplatione parumper esset subsistendum Illam non nisi multo labore acquiri, notum etiam est iis, qui nihil aliud sciunt. Sed an frustra atque in cassum tot exhauriendi labores sunt? Profecto aut infelici sidere natus sum, aut labor ejusmodi nil nisi operosa stultitia foret. Ergo negotia facessit eruditio; sed utilia: occupationibus nos distringit; sed nostræ, sed aliorum (neque enim nobis nati sumus) veræ felicitati inservientibus. Si quis fidem habere mihi contempserit, videat ne agricultores ipso prudentiores evadant. Quis eorum mare aratro findit? Lapidibus injicit semina quis?

Omnes

Omnes spe messis alliciuntur; nemo, nisi lucri exspectatione permulsus, fatigatur. Sit itaque & eruditioni sua utilitas, ne jaceat contemta, & erit jam illa *judiciosa veritatis cognitio*, *illum certitudinis gradum, quousque hominibus pervenire datum est, adsecuta, ad humani generis promovendam felicitatem.*

§. VI. Quod si igitur ad felicitatem nostram ac aliorum, qui nobiscum communi generis humani nomine veniunt, eruditio facit; applicabilis sit, necesse est: tunc autem applicatur, quando ex *generalibus* ipsius praeceptis de *singulis* rebus judicium ferre possumus. Cur, quaeso, experitur, atque ex experientia tum sua, tum aliorum generalia sibi format principia medicus? nisi ut de *singulis singulorum morbis* commodum ferre judicium, ac *medicamenta* seligere *malo* attemperata queat? Cur ratiocinatur politicus, nisi in *singulis intentionibus suis media* ad obtinendum *finem* quam commodissima selecturus, & de *aliorum mediis finibusque* laturus sententiam? Cur ethicus expendit passiones hominum, cur voluntatis humanae abdita penetralia perlustrat? nisi *singulas istas ustiones*, quae *sua*, quae *aliorum* tranquillitati animi remoram objiciunt, debilitaturus, *aliorumque passiones* in *suum* conversurus commodum? Frustra esset Logicus, nisi judicandi principia sectaretur, eadem ad *singulas veritates*, *singulosque errores* applicaturus. Et quid tam diu circa alias disciplinas haereo? de *Jurisprudentia* potius dicendum est. Cur vastum ipsius ambitum animo complecti laboramus, nisi ut de *singulis* hominum negotiis, quae naturalium *legum* civiliumque *moderationi subjacent*, judicaturi? Rimemini haec probe, Lectores; si negatis, quae modo adserui, jurisprudentiam pariter operosam stultitiam efficitis; si conceditis, audite porro.

§. VII. Telam, quam §. 4 *princ.* exorsus sum, pertexam. Non est cur putetis solam verborum, quae legi possunt, quae audiri, quae idiomate vobis noto concepta sunt, elocutionem id utilitatis vobis praestituram. Sic regula commendatur a multis: *Error regulariter nocet errantі*, i. e. is, qui contraxit, ad promissum suum *servandum* manet *obstrictus*, etiam *cum damno* suo, tametsi, cum contraheret, falsum pro vero ab ipso supponeretur. Clara hic omnia primo intuitu videntur, sed videamus, an regula possit applicari? formemus *casum*: Titius homo Batavus emit in Imperio Rom. Germ. equum, convenit inter ipsum & venditorem de pretio C. florenorum. Cum solutio facienda, emptor contendit, se florenos, quales in patria sua in usu sunt, intellexisse; venditor florenos Imperiales postulat; quisque ad contractum servandum

alterum

alterum vult adigere. Error adest, sed applicate, quæso, regulam vestram: *error regulariter nocet erranti.* Cui autem nocebit? Fortassis vobis commendata fuit alia regula: *si uterque erravit, contractus est rescindendus;* sed & hæc applicari non poterit, tametsi enim vel maxime casus ejusmodi contingat, atque alter contrahentium errorem suum parum moretur, adhuc tamen alterum ad servandum contractum poterit adigere. Equidem id facile largior, *mutuo* utriusque *consensu* a contractu denuo recedi posse, sed id etiam in contractu *firmo* ita se habet, nisi tertii aut reipublicæ interesse concernat. Cum igitur utraque *regula applicari* nequeat, consequens est, illam ad veram eruditionem non spectare (per §. *5. & 6. in fine.*)

§. VIII. Facili autem negotio ostendam defectum hujus doctrinæ in obscuritate situm esse, neque enim patet, quid sibi velit illud: *regulariter.* Et tametsi ejus loco: *In dubio, plerumque, communiter,* imo sexcenta alia æquipollentia verba addantur, nullo tamen horum conceptus clarior efficitur. Sed fingamus etiam, docentem adjicere: verbum *regulariter* omnes illos complecti casus, qui exceptionibus adjectis non comprehenduntur, adhuc tamen *obscurum* manet, cur isti potissimum casus a regula sint excepti, nonne plures sint, nonne pauciores. Ad manus mihi sunt *Adriani Beyeri* Posit. *ad Dig.* ubi similis regula occurrit *Tit. de Curat. bon. dando. Quicquid juris est in curatore minoris, id in dubio obtinet in curatore bonorum, nisi subsit ratio disparitatis.* Succurrit mihi alia lepida fabula, quæ cum apprime hujus loci sit, quo minus subjiciatur nihil obstat. Hisce meis oculis auribusque usurpavi, aliquando docentem quendam auditoribus suis tradidisse regulam, subjecta exceptione, cumque utraque in isto, quod explicabat, compendio legeretur, ut tamen aliquid declarationis loco adferret, in hæc erupit verba: *Eadem ratione res hic comparata est, uti in Grammatica; in hac proponitur* NB. *regula: Mascula sunt panis, penis, crinis, cinis, ignis, & sic porro, deinde subjiciuntur exceptiones: ita quoque in Jure proceditur.* Hactenus ille; Tu vero cogita, quæso, quantum artificii fuerit, ad ista, vel cum admorsu labiorum, risum cohibere. Nam jam dicam, ipsi infelicem *Præceptorem* Grammatices obtigisse, qui illud: *mascula sunt,* pro regula venditaverit; nec monebo, docentem hunc ut soritem se prodidisse, quod modum conficiendi *regulas* atque *exceptiones* juxta cum ignarissimis sciret; unicum urgere hujus loci est: A scientia *Grammatica* ad *judiciosam* veritatum *juridicarum* & *moralium* cognitionem argumentari velle, nihil aliud est, quam immane

quantum

quantum insanire. In Grammaticis circa *verba* sumus occupati, quorum compositioni solus *usus* isque *arbitrarius* ac *fortuitus* præscripsit leges, *quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi*: At in judiciosis scientiis addiscendis, longe aliter se rem habere nemo nisi lippus non videt, ibi nimirum si quæ *regula* traditur atque *exceptio* semper *ratio diversitatis* a priori demonstranda est, ut sciat discens, quando regulam, & quibus casibus exceptionem applicare debeat, imo ut etiam in ista doctrina acquiescere & certo intelligere queat, non plures subesse exceptiones.

§. IX. Cum autem non vitiosas aliorum doctrinas denudare, sed meliores substituere sufficiat, ostendam jam, utut brevissimis, (alia enim occasione de effectu doli & erroris in contractibus fusius agam) quomodo doctrina de errore in contractu, sine dolo tamen alterius contrahentium, admisso, emendari possit. Consideremus saltem naturam *pacti* sive *contractus*, de quo ibi quæstio occurrit. Est autem *pactum plurium* (quam unius) *in idem placitum consensus* (Hæccene jam sufficiunt? Vulgo creditur, sed quis diceret illos *pacisci*, qui *eadem cogitant & concludunt?* itaque pergendum:) *invicem signis externis declaratus*, (jam forte res expedita est? Imo vero paciscerentur tali modo homines, qui in templo *conveniunt*, & simul *cantant*. Ergo adde:) *atque ab eo, qui exinde jus aliquod acquirere vult, animo sibi alterum obligandi acceptatus.* Dixi in pacto & contractu occurrere plurium in *idem placitum* consensum, ex quo consequitur, ubi plures in *diversa placita* consentiunt, ibi *nullum* adesse *pactum*: Ergo & *nulla* erit *obligatio ex pacto*, quare si per *errorem* (forte quod alter alterius mentem non recte caperet aut alium quemcunque) factum est, quo *minus in idem placitum* consentirent, pariter *pactum nullitate* laborabit: Cum igitur *emptionis placitum* tale sit, ut de certa re pro *certo pretio* transferenda inter emptorem & venditorem convenire debeat, consequens est, inter Batavum istum & venditorem, in dato exemplo § 7. nullum intercessisse pactum, cum de *eodem pretio* invicem *non* conspirarent. Sic quoque si quis *Stichum* servum emeret ab aliquo, ipso mancipio non præsente, deinde autem alium servum ipsi offerret venditor, qui etiam *Stichus* vocaretur, emptor autem se alium intellexisse diceret, & postmodum appareret, istum jam manumissum esse, pariter deficeret contrahentium in *eandem mercem* consensus, atque exinde infiniti casus decidi possunt. E contrario vero si forte aliquis equum emit, nuncio accepto, domi equum suum periisse, id *contractui* non nocebit, adeoque firma erit obligatio.

 §. X.

§. X. Hactenus quidem dicta eo faciunt, ut pateat, quid ad perſpicuitatem requiratur. Doctrina utilis eſſe debet, adeoque neceſſe eſt, ut queat *applicari*. Unde ante omnia diſcens *intelligere* debet, *quid* ipſi proponatur: ſed non intelligit, niſi in ſingulis propoſitionibus & *ſubjecti* & *prædicati evidens* in ipſo excitetur *conceptus*; ad quid vero hæc evidentia juvat, niſi ſimul conſtet de *nexu* inter utrumque? tunc enim demum patet, propoſitionem aliquam *veram* eſſe, adeoque eam *applicari debere*. Sed quænam docentis facultas ac vis id officii præſtabit? Sane in *mente* ipſius quærenda adminicula eſſe, per ſe patet: at mens humana tribus prædita eſt facultatibus: *memoria*, *ingenio*, *judicio*; *memoria ſervat ideas promiſcue ſibi quomodocunque oblatas*: Sed *promiſcuas conjungere ideas*, quid habet *veritatis*; quid *evidentiæ*? *Ingenium varias ideas ob qualemcunque ſimilitudinem invicem componit*: At *illa* vero cum in *omnibus rebus* deprehendatur; (nihil enim usque adeo ab altero remotum, ut non in qualicunque *tertio comparationis* utrumque conveniat) *qualiscunque idearum* invicem junctarum *ſimilitudo* non evidentes præſtabit propoſitiones: Et imo ridemus ideo ad ſtultorum morionumque voces, quia inſperatas adeoque nos delectantes rerum ſimilitudines excogitant; ex eodem fundamento, accedente ſaltem ſuperbia, qua nobis præ aliis efferimus, omnis error nobis ridiculus videtur, quia ſolo ingenio operante, erroneæ propoſitiones conflantur. Supereſt itaque *judicium* ſive illa *mentis humanæ facultas*, *quæ ab ingenio promiſcue compoſitas ideas ad invicem examinat*, & *connectendas conjungit*; *alienas removet*. Hæc eſt illa mentis noſtræ nobiliſſima pars, quæ homines a brutis, canibus, ſimiis, imo, quæ ſanos *a furibundis* diſtinguit, nam ne hi quidem *ingenio* ac *memoria* deſtituuntur: Ab hac igitur expectanda ſunt illa, quæ ad perſpicuitatem doctrinæ deſideravimus. Tu dices: ſed eritne judicium ſine memoria atque ingenio huic operi par? Quæſtionem proponis Domitianum; Reſponde: Eſtne ſartor ad id habilis, ut veſtem conficiat ſine materia? Si negas, inſto: At qui confecit materiam, poteſtne is dici conſuiſſe veſtem; nonne nihilominus ſartor effecit, ut ſit veſtis? Hoc volo: Omnino memoria æque ac ingenium ideas congerere ac ſubminiſtrare judicio debet, cum ex nihilo nihil fiat; ſed illas in ordinem redigere, componere, ſeparare, id opus, hic labor eſt, hoc perſpicuitatem conſtituit, ſed & hoc ſolius judicii eſt opus. Cœterum quando de *dono* perſpicuitatis loquor, plus innuo, quam unius alteriusve propoſitionis evidentiam, potius conformitatem plurium actionum conſtantem ac perpetuam, quantum hu-

mana

mana imperfectio patitur, intelligo, h. e. habitum, vel saltem dispositionem habitui proximam, sive perfectionem ac *promptitudinem agendi multo exercitio acquisitam.*

§. XI. His ita præmissis, nihil definitione *doni perspicuitatis* facilius evadit. *Est* quippe nihil aliud, quam *habitus intellectus, speciatim judicii, animi sui sensa cum aliis ita communicandi, ut singulæ ideæ, quas verbis exprimimus, earumque invicem nexus accurate intelligi queant.* Omnia, quæ in hac definitione occurrunt, ab ovo usque ad mala prosequi velle ac explicare, nihil aliud esset, quam totum quantum tradere ratiocinandi artificium. Potiora saltem plana reddere animus est, atque imprimis spurias quasdam enumerare perspicuitates, quibus incautis discentibus glaucomata objiciunt docentes, eaque omnia sincere & sine omni cujusquam odio; innocentissima potius simplicitate ac Germano homini digna fide peragam: cœterum nihil dicturus, nisi quod *demonstravero.*

§. XII. Ostendi jam (§. 10.) perspicuitatis donum *habitum judicii* supponere, ex quo statim evidens fit, ab iis, qui exspectant judicium, frustra perspicuitatem exspectari. Porro cum nullus nullus plane *habitus*, quisquis ille sit, sive corpus adficiat (ut habitus commode saltandi) sive in mente resideat, aliter quam *crebro exercitio* acquiratur; illi autem, qui non nisi *legendo, excerpendo, compilando* occupantur, memoriam *exerceant* quidem, *non* autem *judicium*; ejusmodi animalia, quæ gregatim pascuntur, atque antecedentium sequuntur multitudinem, pariter ad perspicuitatem *inepta* esse, quis est, qui non videat? Denique cum perspicuitas sese *exserat* in eo, quando *animi* nostri *sensa* cum aliis *communicamus*; illam ante omnia *in mente docentis claras* supponere *ideas* consequens est, quod enim in mente deest, id depromi ex eadem per rerum naturam nequit. Cave igitur imponant tibi ineptæ plebis voces, subinde dicentis; hunc vel illum egregium quidem atque eruditissimum virum esse; sed dono perspicuitatis destitui: Persuasum potius habeto, ejusmodi hominem, quisquis sit, virum esse, qui multa *verba memoriæ* sibi mandavit, nihil suo adsecutus judicio, inde & multa quidem verba effatur, sed sine sensu: proponit varias meditationes, vel meditationum potius simulacra; sed nunquam nexus inter antecedentia & consequentia, imo inter subjectum & prædicatum, quæ in propositione combinantur, patefecit: bonus enim iste vir illhæc omnia ipse ignorat. Atque hactenus quidem imponunt discentibus *beatæ memoriæ* homines, non quidem

sub

ſub ſpecie *claritatis*, ſed ſaltem *eruditionis*, quæ tamen & ipſa eſt *judicioſa veritatis cognitio:* Impoſterum potiſſimum cum *ingenioſis* mihi negotium erit, illi enim imprimis ſunt, qui *perſpicuitatis donum* devoraſſe, videri volunt.

§. XIII. *Verba* ad communicationem idearum noſtrarum cum aliis deſiderari, res ipſa loquitur; occurrunt quidem & alia ſigna, uti in Jure in computatione graduum figuras quasdam adhibere ſolemus: ſed circa hæc ſigna hærere operæ pretium non foret. Videamus itaque ſaltem, quomodo *verba* comparata eſſe debeant, ut *evidentia* ab iis queat ſperari. Expoſui autem illud jam in definitione, requiri nimirum 1) *ut ſingulas ideas accurate exprimant*, 2) *ut earum invicem nexum demonſtrent.* Per poſterius demum *evidentes* redduntur *propoſitiones*, at hiſce tota quanta eruditio conſtat: hoc tamen impetratu impoſſibile eſt ſine priori, niſi enim *ſingulæ ideæ* accurate intelligantur, quomodo apparere poterit, quænam invicem ſint *connexæ*, quæve *repugnantes?* Utrumque autem in meditatione demonſtrativa fit, ſi *ſingula*, quæ ignota ſunt, accurate *definiuntur*, *definitionibus* antea *demonſtratis;* ex his deſumuntur deinde *axiomata*, quæ ſive hoc nomine apelles, ſive *requiſita* ſingularum rerum eſſentialia, ſive *principia*, ſive aliter vocaveris, nihil refert, atque inepti hominis foret, ejusmodi denominationibus iraſci velle: denique ſi ex axiomatibus *conſectaria* ſive *concluſiones* deducantur, in quorum numero & ipſas *diviſiones* eſſe, hoc magis notari meretur, quo frequentius id vulgo negligi ſolet.

§. XIV. Hæc autem meditandi methodus paulo difficilior eſt, & vel ſolæ *definitiones* multum attentionis requirunt, ita ut plane perſuaſus ſim, multos docentes proprio marte vel unicam accuratam definitionem minime compoſituros, ſi vel vitam ſuam tali modo poſſent redimere. Deinde etiam nexus ſingularum conſectariorum plus *aſſiduitatis* requirit, quam perferre *ingenioſi* homines poſſunt, in quorum cerebro hypotheſes inſtar fungorum naſcuntur: Quodſi igitur ipſis aliquid probandum eſt, confeſtim ex ingenio ſuo hiſtoriolas quasdam ſeu *exempla* ac *ſimilia*, quæ in numerato habent, depromunt. Et notum eſt, *ſimilia* atque *exempla*, ſi non probent, ſaltem *illuſtrare*, unde facile perſpicuitatis laudem ab auditoribus ſuis conſequuntur, quo jure, quave injuria, ſtatim videbimus.

§. XV. Quod modo adduxi de *exemplis* & *ſimilibus* dicterium, in omnium ore eſt; an a multis intelligatur, vehementiſſime dubito:

imo

imo an illi ipsi, qui illud olim excogitarunt, accurate perspectum habuerint, quomodo *probatio* differat ab *illustratione*, nihil ausim decidere. Tam autem de exemplis quam similibus quid sentiendum sit, exponam. *Exemplum* (generalius acceptum) nihil aliud est, quam *species aliqua generali propositione, ejusque imprimis subjecto contenta;* speciatim vero accipitur pro specie quadam infima, aut plane *individuo*, generali quadam idea comprehenso; atque huc spectant *casus*, quæ a docentibus subinde formantur, & quorum nos supra quosdam exhibuimus. Ita enim comparatum est cum abstractionibus istis generalibus, quas mens nostra e rebus *sensu perceptis*, (quæ semper *individua* sunt) sibi format, ut non statim audientis animus tantæ capacitatis sit, ut omnes sibi, imo ut quasdam concipere queat species, quibus abstractio, quam audit, debeat possitque applicari. Sic si *affectionem* (de qua sermo est in doctrina de *pretio affectionis*) definio per *desiderium hominis rem aliquam sibi habendi, ut memoriam circumstantiæ alicujus, quæ ipsum in specie afficit, tali modo conservet:* Non statim quilibet lector adsequitur, quid sibi velit ista *circumstantia certum hominem in specie adficiens*: Sed si *exempla* allego, res clara fit. Sic v. gr. *Titius* affectione prosequitur *equum*, qui *ipsum in periculo servavit; alius* certum *vas* aureum diligenter custodit, quod *ipsi a persona dilecta donatum est*, & sic porro. Atque ita patet, exemplorum allegatione id *perspicuitatis* præstari, ut ipsæ dicentis *ideæ* accurate intelligantur; hoc autem nondum omne evidentiæ munus absolvitur, cum caput rei sit, ut in singulis propositionibus prædicati cum subjecto *nexus* capiatur, utpote ex quo unice illorum veritas pendet: operæ igitur pretium est indagare, an id mediante exemplorum adductione efficiatur.

§. XVI. Omnem omnino cognitionem nostram a sensibus incipere certissimum est, & serio negari a nemine potest; at in sensus incurrunt solummodo *individua*, h. e. exempla, unde ab his nostram oriri scientiam consequens est. Ergo si prædicatum aliquod *omnibus* istis *individuis*, quæ generali aliqua abstractione seu genere deinde complectimur, ita competit, ut nulla allegari queat instantia, h. e. exceptio in contrarium, tunc propositionis veritatem mediantibus solis exemplis probari nemo negaverit. Sic si videmus in *cibo, potu, prospectu, ludis*, imo in omnibus iis, quæ ad *delectationem sensuum externorum faciunt, variationem objectorum*, quibus delectamur, identidem nos ad appetendum stimulare, ita ut semper magis magisque

cupiditas nostra in nobis accendatur, recte *solis exemplis* probatam hanc universalem formamus propositionem: *Cupiditas humana, qua ad delectationem per sensus externos percipiendam, ferimur, crebra objectorum variatione excitatur potius, quam restinguitur;* exinde autem concludimus, in voluptate Venerea eodem modo se rem habere: ast cum id ipsum tranquillitati animi nostri, adeoque veræ felicitati obsit, vagos concubitus, polygamiam, crebraque divortia vel ex hoc fundamento voluntati divinæ repugnare, sola prælucente ratione cognoscimus. Habet hæc demonstratio, quantum mihi notum est, ILLUSTREM DN. THOMASIUM primum auctorem, eademque evidentissima est. Aliud specimen ejusmodi demonstrationis, cujus prima propositio per exempla ex sensibus petita probata est, invenies in *programmate meo de incestu* superiori anno edito, ubi per omnium animalium exempla evinco: *Deum animalibus illum indidisse stimulum, qui non solum ad procreandam sobolem, sed simul ad conservationem ejusdem sufficit &c.*

§. XVII. Tu vero ex dictis concludes: Ergo & *probant exempla*, adeoque utramque in evidentia paginam faciunt. Et ita est, sed in propositionibus tantum, quas *ex sensione immediate* nobis formavimus, quo etiam omnes *res facti*, uti vocari solent, referendæ sunt: nequaquam vero in brocardicis Juris aliisque propositionibus moralibus. Sic si quis ad probandum adsertum, quod supra refutavimus: *Error in dubio nocet erranti*, vel decem proferret exempla, nihil tamen minus inde, quam veritas istius propositionis elucesceret. In mea quidem, quam calleo, Logica, ejusmodi probatio *circulus* audit. Nam *casus dubios* decidere *ex propositione æque dubia*, & hanc probare ex *decisione casuum*, quid aliud est, quam apertissimum, & quidem sine ambagibus, circulum formare. Nec id ignorant docentes, unde ne pateat ipsorum fucus, confestim ab ingenio suppetias quærunt: proferunt nempe casus auditu jucundos, fingunt in illis varias circumstantias, quas non sperasset auditor, quæ quidem omnes nihil ad rem faciunt, sed ob id ipsum, quia nihil faciunt, atque insperatæ prorsus sunt, risum movent. (supra §. 10. circa fin.) Interim aliquid fit, transigitur hora, atque auditores varietate rerum permulsi, & largo exsatiati risu recedunt. Scire autem vis, quid agant ejusmodi homines? dicam ingenue: Faciunt discentes resumere teneram istam ætatem, qua parvuli pusiones crepitaculis ludebant; hæc ipsis tradebantur in manus, ut *desiderii* fuit, quod lachrymas exprimebat, *obliti*,

acquiescerent. Et eodem modo hi homines *attentionem* auditorum suorum *in alia omnia* dirigunt; interim, quam mereri non poterant, gratiam ipsorum suffurantur, obliti istius aut ignari, quod acute *Seneca* dicit: *intersit aliquid inter clamorem theatri & scholæ.*

§. XVIII. Ad similia quod attinet, illa eatenus claritati inserviunt, quatenus efficere possunt, ut *possibilitas* alicujus adserti pateat; deinde ut evidens fiat, unam rem cum alia in *effectu* convenire, quo facit simile, modo a me allatum, cui tamen præmisi demonstrationem; denique & loco *instantiarum*, quas vocamus *ad modum concludendi*, inserviunt, adeoque in *refutatione* major eorum usus est, quam in meditatione Synthetica: Quæ omnia in Logica mea fusius exponam. Postremi tamen asserti unicum dabo exemplum. Sunt, qui principiis religionis Christianæ repugnare putant, revocationem injuriæ judicialiter petere, actionem enim hanc non nisi ad meram *vindictam* tendere contendunt. Equidem nullam hic vindictam, sed solummodo damni dati reparationem video, si quis ab altero v. gr. infami furis nomine sit traductus, & jam ab aliis quoque talis habeatur, is autem, innocentem se sciens, revocationem efflagitet: Sed, dicunt, *fama non potest a quoquam nobis adimi.* Hoc refutare soleo (præmissis aliis argumentis) etiam per instantiam ad modum concludendi; Eadem ratione se hoc ratiocinium habere, acsi quis ita concluderet: Abstulit tibi fur C. thaleros, *jus dominii tibi integrum manet* atque illibatum; Ergone vero istos thaleros repetere vindicta est, & religioni Christianæ repugnat? Nihil ad id excipi potest, præter hoc unicum: dominium inutile esse, si careat effectu; sed & eodem modo fama non prodest, nisi quis effectibus integræ famæ in republica secure frui queant, qui per ejusmodi injuriam alicui intervertuntur.

§. XIX. Sed ne quidem efficiunt similia, ut quis evidentem rei alicujus conceptum sibi possit acquirere, supra enim jam notavi, nihil non invicem convenire in quodam comparationis tertio. Inde quivis ferre poterit judicium de definitionum soliditate, in quibus locutiones occurrunt allegoricæ. Certe cum definitio fundamentum sit omnis accuratæ meditationis de re illa, quam definimus, consequens est, ibi imprimis locutiones occurrere debere, evidentem definiti conceptum exhibentes. Et in jurisprudentia nihilominus hujusce furfuris definitiones frequenter discentibus obtruduntur. Sic *obligationem* definiunt per *vinculum* juris: Anne autem hoc sericeum sit, num forte catena ferrea, non exponunt. Famam multi cum *Pufendorffio* vocant *valorem*

hominum moralem, eamque *inſtar pretii rerum* eſſe contendunt. Sed an homines liberi venduntur, & quanti jam conſtat fama? *Infamiam* definiunt per *maculam*, *labem*, qua quis *notatur*, quæ alicui *impingitur*, *infligitur*, *inuritur*, & ſic porro. Cujusnam vero *coloris* hæc *macula* eſt? At, inquis, colorem non habet, ſed *moralis* eſt *macula*: Ita didici vero nihil ad[illegible], qui necdum *evidentius* intelligo, quid ſit infamia. Imo ipſum *rerum pretium* vocant *valorem* quendam *rerum*, h. e. obſcurum per obſcurius exponunt.

§. XX. Ipſi quidem prævident haſce objectiones, adeoque de aſylo ſibi mature proſpexerunt. Dicunt enim idiomata *defectu verborum* laborare. Et fateor quidem occurrere in ſingulis linguis vocabula varium admittentia ſignificatum, ubi defectum vocabulorum innuit, non ſingulis ſignificatibus nomina ſua fuiſſe impoſita: interim nondum audivi, aliquem *devoraſſe* libellum, qui *actionem edere* juſſus fuit: aut aurifabrum, *funda* includere gemmas in mandatis habentem, illas *fundæ*, qua lapides projiciuntur, indidiſſe. Ac profecto nullas apud diſſentientes mererer grates, ſi quemquam eorum ad prandium mecum capiendum invitarem, *lupos* ipſi promittens, deinde *lupos* animalia ſylveſtria, aut *lupum*, ex quo cereviſia coquitur, vel plane *araneas*, quæ etiam *lupi* vocantur, (elegantia fercula!) propinarem; nec moraretur is excuſationem meam, ſi vel maxime defectum *linguæ Latinæ* allegarem. Scilicet iſti, quæ in linguis occurrit, æquivocationi facile per *ſubſtratam materiam* medela adfertur, cum plerumque res toto cœlo ab invicem diverſæ eadem appellatione veniant: Reliquæ autem homonymiæ vel ab *oratoribus*, vel ex alia quadam *fraude*, cujus in Jure Canonico larga exemplorum meſſis eſt, vel denique ad velandam *ſuperficiariam notitiam*, atque ut is aliquid dixiſſe videretur, qui revera nihil dicit, & res omnes perfunctorie perque (quod ajunt) tranſennam contemplatur, inventæ ſunt. Quicquid vero horum fuerit, *ideo definimus*, ut iſtæ *æquivocationes evitentur*. Jam vero in *differentia ſpecifica* propriæ locutiones neceſſario adhibendæ ſunt, cum alias conceptus perſpicui rerum ſiſti nullo modo queant: *genus* autem abſtractio eſt, quæ rei definiendæ cum aliis rebus eſt communis, hunc conceptum aliter quam mediantibus *verbis* nemo ſibi in ulla aliqua ſcientia, minime omnium vero in rebus *moralibus* formare per rerum naturam poteſt, quæcunque enim ex ſenſione oritur idea, vel unum aliquod individuum, vel rerum moralium *unicum effectum* nobis ſiſtit, id quod etiam B. *Titium* eo perduxit, ut iſtas res morales v. gr. *dominium*, *imperium* &c. non fuiſſe in

ſenſibus

ſenſibus exiſtimaret, cum ego e contrario in collegiis logicis meis demonſtrem, impoſſibile eſſe, ut is, qui *tantum ſurdus* ſimul eſt *& cæcus*, conceptum ſibi *ullius dominii* formare queat, utut reliquis ſenſibus non deſtituatur. Ex hiſce autem conſequitur: eum, qui *abſtractionem* hanc *generis* nomine venientem *eloqui* non poteſt, nunquam ſibi iſtum conceptum formaſſe, adeoque obſcuritatem non in defectu linguarum, ſed diſtinctarum idearum in mente loquentis quærendam eſſe.

§. XXI. Ut autem ad oculum pateat, verba in datis exemplis non deficere: definio *obligationem* per *neceſſitatem agendi a lege impoſitam: Famam* dico *jus* eſſe, *bono civi competens, poſtulandi a reliquis civibus, ne ſignis externis declarent ipſum pro malo cive, ac ſocietate civili indigno haberi, ut ſecuritate ac tranquillitate in republica frui poſſit.* Cum ſit jus *boni civis*, ſequitur, ſi quis bonus eſſe deſinat, h. e. talia committat facta, ex quibus colligi poſſit, malitiam ejus reliquis metuendam fieri, eumque ad bene faciendum ineptum cenſendum eſſe, hoc *jus* quoque *exſpirare*, tunc autem adeſt *infamia facti*, cujus jam facilis eſt definitio. Porro cum fama ſit *jus civis*, & jura vero civium a Principe, & qui ipſum repræſentant, ipſis auferri queant, ita ut omnibus NB. in iſta civitate careant effectibus; clarum fit, in quo *infamia juris* conſiſtat. Sed de his omnibus, ut & de pretio rerum ſpecialibus diſſertationibus data occaſione fuſius agam. Supereſt, ut pretii rerum adhuc ſubjiciam definitionem: intelligo autem tale, quod in animo habemus, quando quærimus: *quanti hanc rem æſtimas?* Atque hoc *pretium* eſt *unius rei, quæ noſtræ ſubeſt diſpoſitioni, cum alia comparatio, eum in finem facta, ut, ſi una cum altera permutetur, in contractibus oneroſis obtineatur proportio.* Hinc apparet, quid ſit *pretium eminens*, nempe comparatio rerum uteunque utilium cum nummo; quid vulgare, ſcilicet comparatio aliarum rerum, quæ noſtræ diſpoſitioni ſubjacent, inter ſe. Sed hæc fuſius exſequi inſtituti ratio non patitur.

§. XXII. Videor autem mihi audire murmura eorum, quibus perſpicuitas ejusmodi forte paulo difficilior foret, & quæ non ſinit graſſari, ſed ſaltem ſerpere ad famam; illi autem procul dubio dicent, hoc nihil aliud eſſe, quam minutias ſectari, imo pedantiſmo fruſtraneam operam impendere. Satisfacerem hiſce objectionibus, dummodo mihi conſtaret, quid pedantiſmi nomine ejuscemodi hominibus veniat. Si quid video, *pedantiſmus* nihil aliud eſt, quam *vitium eorum, qui eruditi videre volunt, atque ob ſcientiam multarum rerum, ſed inutilium, faſtu ſuperbiunt.* Jam vero ſupra demonſtratum dedi, neglectum hujus, quam commendavimus, methodi efficere, ut quæ Dictatoria voce diſcentibus inculcan-

culcantur, *applicari* ad negotia emergentia nequeant, & consequenter isthæc omnia *inutilia* fiant: Porro vagarum propositionum, quibus sexcentæ subjiciuntur limitationes, traditio efficit, ut iis *obrui memoria* discentis, atque ipsa verborum *multitudine* confundi debeat. E contrario autem demonstrativæ methodi fructus est, ut semper discens sibimet ipsi formare conclusiones possit, quæ rite positis fundamentis facillimæ sunt, quibusque nectendis mediante hac docendi methodo studiosi aliud quasi agendo paulatim adsuefiunt: Unde jam evidentissima ratione concludo; iis ipsis, qui laudatam flocci faciunt methodum, cum nec *multitudine* rerum careant, & illæ mirifice sint *inutiles*, ad reportandum summo jure pedantarum elogium nihil deesse præter *superbiam*, de qua forte ex jactantia judicium ferri poterit.

§. XXIII. Juvat vero unico exemplo comprobatum dare, accuratam rerum adumbrationem, quæ fit mediante definitione, apprime utilem esse. Maneamus in ultimo *pretii* exemplo. Dixi, illud consistere in *variarum rerum, quæ nostræ subjacent dispositioni, ad invicem facta comparatione.* Hoc axioma nemo in dubium vocabit, quisquis perpendit, pretia a nobis exquiri mediante quæstione: *quanti rem æstimas?* ad hanc autem *impossibilem* esse responsionem, nisi *comparatio* fiat cum re alia, hodie quidem fieri solet cum nummo. *Affectionem*, quæ in res dominio nostro subjectas cadit, semper *supponere certas rei alicujus circumstantias, eum in specie adficientes, qui talem conservare sibi cupit*, supra §. 15. indicatum est. Inde patet, quomodo affectio hæc differat a singulari utilitate, quam quidem etiam res aliqua ob *certas circumstantias* præstat, sed quæ ita comparatæ sunt, ut si una cum illis res ista alienetur, ista *utilitas* rei *singularis* ad *quemcunque* perveniat *possessorem*. Sic si ex *quadrigis ejusdem coloris & formæ* unus surreptus sit *equus*, hic majoris pretii æstimatur, quam si quis *unicum* tantummodo habuisset, quia & reliquorum *trium* equorum pretium jam *imminutum* est: hæc autem utilitas comitatur quemvis istarum quadrigarum emptorem. Similia exempla in Jure de *servis comœdis*, *symphoniacis* &c. occurrunt, prouti & Romanorum *æs Corinthiacum*, & nostris temporibus *nummi rariores*, imprimis si *seriem* quandam *Imperantium* sistant, in hanc classem referri debet. At ubi *affectio* proprie sic dicta adest, ibi *desiderium* habendi certam aliquam *rem* afficit, atque istas *circumstantias*, ob quas res talis a *certo homine* appetitur, non *supplet res* alia; Ergo *nec datur comparatio* hujus *affectionis ad rem aliam*, imo nec ad nummum, ut nummus aut alia res *supplere vices prioris* queat. Ergo *pretium affectio-*

nis

nis in nullas plane res cadit. Equidem apud Romanos id mediante juramento in litem determinatum atque exactum fuisse scio, sed hæc actio revera *pœnalis* erat, ad pœnam auctori applicandam tendens, cujusce generis actiones moribus Germaniæ (quos eleganter recenset *B. Schilterus* Tit. de in lit. jur.) incognitæ, non nisi per imperitiam interpretum Juris ad patriæ fora pertractæ sunt. Et revera *in praxi* non *adfectionis*, sed *singularis utilitatis* pretium exigitur, talis autem utilitas *doceri* potest, atque in *cbmmuni* rerum *pretio* fundatur, adeoque ne quidem *juramento* opus habet. Sed de his omnibus fusius alibi dicam.

§. XXIV. Hactenus adducta ad demonstrationem spectant. Agendum adhuc foret de evidentia in doctrinis *probabilibus* adhibenda, imprimis in probabilitate *politica*, *historica* atque *hermenevtica*, quibus in Jurisprudentia carere non possumus: Sed evasit jam meditatio mea istos cancellos, quos ipsi præscripseram, quare saltem eo nitendum est, ne nimium quantum eosdem excedat. De interpretatione legum tantummodo pauca delibabo. Nimirum est quidem meditatio hermenevtica probabilis; ista autem probabilitas non ulterius, quam usque ad *sensum* legislatoris indagandum, extendi debet: Hoc cognito, quæ deinde ex Lege concluduntur, *demonstrativa* ratione ex *hypothesi* fluere debent. At quot quantique hic occurrunt paralogismi, quibus obscurum nomen: a *contrario sensu*, item *argumento legis* inditur, ad quas ratiocinationes intelligandas lucerna *Diogenis* opus foret. Sic quoque quando in conciliandis legibus versantur doctores, solent vulgo effingere *distinctiunculam*, atque ut aranea fila sua ex se sugere. Exemplum dabo: Controversia est; an liberi debeant conferre, quæ per *donationes inter vivos* a parentibus suis acceperunt. Analogia Juris, interque liberos servanda æqualitas affirmativam sententiam suggerit, quæ etiam ex *L. 13. C. de Collat.* evidentissime probatur: Sed obstat in eodem *Tit. L. 20.* §. *1.* Hanc ut concilient, distinguunt nonnulli inter rem *ex propriis parentum bonis* donatam, & rem *pecunia patris* a tertio *emptam*, atque *ita demum dono* liberis oblatam. Si *rationem diversitatis* quæris, altum silentium; si *fundamentum dividendi* expiscaris, magis muti sunt, quam pisces: Et tamen *Georg. Beyerus* (in Posit. ad ff. Tit. de Collat.) fidem non vult habere *Wissenbachio*, distinctionem hanc ineptam vocanti, sed ipsum potius hac in parte ineptum esse clamitat. Credo autem, quemvis rusticum intelligere, nihil interesse ratione doni, sive filiæ suæ pecuniam det ut sibi aliquid emat in nundinis; sive ipse nundi-

nundinale donum pro ipsa comparet, & filiam utroque casu a patre donum accepisse censeri debere. Ad me quod attinet, *Legem 20.* de casu, quando pater rem emit, eamque pro filia sua comparare se, ut præcipuam aliquando habeat, declaravit, *eademque res adhuc in bonis parentis post mortem ejus reperiatur*, cum *Godofredo* explicare soleo. Sic patet *ratio diversitatis;* est enim hic prælegatum, absque omni quidem solennitate factum, sed a *patre inter liberos* suos disponente: *prælegatum* autem *non conferri*, quis est qui nesciat? Hæc igitur conciliatio cum analogia Juris & *ipsis* cit. Legis verbis conspirat, quam, quisquis dubitas, videsis ipse.

§. XXV. Apparet jam ex dictis doni perspicuitatis vera indoles. Noli tamen putare, solam docentis evidentiam discentibus prodesse, nisi hi debitam adhibuerint attentionem; hanc autem subdole ipsis eripi ab illis, qui nihil minus, quam perspicuitatem præferunt, supra jam est observatum. Equidem difficilius est, fateor, nervos attentionis intendere, quam crepundiis ludere, h. e. gerras, jocos, scurrilitates audire: At magis adhuc onerosum est, quando ab academia recesseris, sive causas peragas, sive judicis fungaris officio, sive denique coram amicis de obvenientibus casibus judicandum sit, antea ad commentatorem recurrere practicum, & *casum*, ut vocant, *in terminis* febrili ac sæpe frustranea opera quærere, quo te negotio perspicua doctrina supersedere faciet.

§. XXVI. Perpende jam *perspicuitatis doni* requisita, quo facto, dic mihi, quid *evidentiam* doctrinæ inter & *soliditatem* jaceat discriminis? Si reperire nihil potes; si *solo nominis sono* distinguantur: Confessurum te esse confido, *solo genuinæ perspicuitatis dono omne docentis absolvi officium.* Atque ita probari id, quod mihi sumpseram, steti promissis, liberavi fidem:

Vela contraho.



F I N I S.

